

DISSERTATIO

INAUGURALIS MEDICO-CHIRURGICA

DE

ULCERIBUS,

QUAM

CONSENSU, ET AUCTORITATE MAGNIFICI DOMINI PRAE-
SIDIS, AC DIRECTORIS, SPECTABILIS DOMINI DECANI,
NEC NON CLAR. DOMINORUM PROFESSORUM IN ALMA
AC CELEBERRIMA REGIA SCIENTIARUM UNIVERSITATE
PESTIENSI, PRO OBTINENDO

GRADU MEDICINAE DOCTORIS

MAXIMILIANUS HÖBLING.

NOBILIS HUNGARUS QUINQUE-ECCLESIENSI
BARANYIENSIS.

In Theses adnexas publice disputabitur in Universitatis
Palatio majori die Mensis Augusti 1835.

PESTINI,

TYPIS LANDERERIANIS.

MAGNIFICO DOMINO DOMINO

IGNATIO A STÁHLY,

S. C. ET R. A. MAJESTATIS CONSILIARIO.

AA. LL. ET PHILOSOPHIAE, MEDICINAE, ET CHIRURGIAE
DOCTORI, IN REGIA SCIENT. UNIVERS. HUNG. PESTIENSI
CHIRURGIAE PRACTICAE PROFESSORI P. O. ET CLINICI
CHIRURGIĆI PRAEFECTO II. EC. ALBENSIS, KRASSOVIE-
NIS, NEOGRADIENSIS, ET TOLNENSIS TABUL. JUDICIAR.
ASSESSORI, FACULTATIS PHILOSOPHICAE MEMBRO, AC
REG. SCIENTIAR. UNIVERS. HUNG. RECTORI MAGNIFICO
EMERITO.

**VIRO
DE
RESTITUTA HOMINIBUS SALUTE.**

MERITISSIMO.

SCIENTIA, VIRTUTEQUE.

PERQUAM DECORO.



**IN
DEVOTI CULTUS.**

MONUMENTUM.

INSCRIBIT.

Auctor.

§. 1.

Ingressus.

Materia de Ulceribus inter gravissimas Universae Medicinae partes refertur. Poenam generis humani, prae caetera morborum atrocium turba, in iis vel maxime figi, querelis Priscorum, et aevi nostri argumentis vivis jugiter edocemur. Omni parti corporis vivi, nobili aequae, ac ignobili, foedas struere insidias amant. Vetusta inprimis, maligna, flectique medelis nescia, et onus vitae, quae superest, et mortis ipsius causam in sinu suo recludunt. Illa sunt, quae, prae caeteris, Medicinam strictius dictam, sine ingenti Scientiae, et aegrorum damno, ab Chirurgia, et vicissim divelli non sinunt; quin imo demonstrant, utramque partem, totum quoddam constituere, atque, quoad naturam, unum esse, idemque. Idcirco fuere semper, suntque et hodie Viri celeberrimi, quorum cordi haec, tantae dignitatis materia graviter incumbere, atque incumbit, adeo, ut continuo naturam ulcerum eruere, iisque mederi molirentur. Huc referri debent Cell: Bell, Hahnemann, Hebenstreit, Astruc, Veber, Vathely, Metzler, Home, Rust, Chelius, alique praeclari, qui partim distinctis operibus suis, partim scriptis periodicis, partim, quod maximi est, acri ingenio, et habilissima manu miserorum hac labe afflictorum saluti consulere perquam studuerunt, studentque. Neque tamen, ut verum dicam, est haec Doctrina omni numero absoluta ita, quin rimae quaedam, et syrtes hic, atque ibi, non intercurrent: sed vero mehercle! plurima summae veritati innixa sunt. Haec ergo, quae saltem Eruditorum experientia hucum adprobavit, quorumve dignitas, et hodie ubique agnoscitur, in hoc brevi specimine, quin propriis quorundam Theoriis adhaerere necesse sit, scribenda constitui.

§. 2.

Definitio.

Ulcus a verbo graeco ἔλκο i. e. traho tabefacio, lacero, rumpo — hinc ἔλκος οἰκος hinc Helcos, Hulecus, Ulcus i. e. tractio, laceratio, ruptio. Gall. Ulcere, Ital. Ulcera. Germ. Geschwür. Hung. Fekély, Kelés, Tur. Slav. Wred. Croat. Mozol. Illyr. Csir.

Est laesio continui originis dynamicae. *) seu: Est lenta, abnormi vitae plasticae innixa, e causa dinamica orta, partium organicarum discretio, earumque mixtionis mutatio, cum continua saniei secretionem. Processus abnormis, quo id fit, Ulceratio dicitur, estque species suppurationis eo cum discrimine, quod in hoc nisu in destructionem, in illo in regenerationem partium praevalent.

Sanies, seu ichor, seu pus malae indolis, est proinde productum ulcerationis liquidum, acre, ex quo destructionem partium potius moliente; aut nulla reproduciuntur materia organica, aut talis, quae ad resarciendum amissum, neque sufficit, sed neque satis idonea est. — Indoles eius acris, varietas item consistentiae tenuis, tenacis et coloris Subcaerulei, subfusci, subnigri, atque odoris saepe foetidissimi, utique non aliunde, quam a nisu plastico partis adfectae abnormi, et a diversa organorum textura, structurave repeti potest.

E data Ulceris notione patet illud ad morbos organicos ex cohaesione laesa referri; sed ab aliis eiusdem generis vitiis, praecipue vero ab abscessu, et vulnere per id vel maxime differre, quod in his pus bonae indo-

*) Hic e re videtur definitionem a plerisque adoptatam: Ulcus est laesio continui per causam internam orta tantisper perstringere. Definitio haec incompleta est ex eo; quod ulcus etiam causis externis excitari possit. e. p. Tartaro ematico.

lis, seu liquidum plasticum, particulas destructas solvens, earumque eliminationem adjuvans, sicque organi integritatem restituens secernatur. Nihilominus tam abscessus, quam vulnera, praesertim in longius protracta, quod frequenter cernimus, in ulcus transgredi valent: sed et vicissim ulcus omne, ut partes laesae tandem restitui possint, naturam vulneris suppurantis induere, et pus bonum refundere debet.

§. 3.

D i v i s i o .

Varia est ulcerum divisio ex principiis variis desumpta. Pro diversa ulceris forma, et superficie, in aperta, fistulosa, rotunda, oblonga, polygona, callosa, fungosa, gangraenescentia; pro diversa secretae saniei copia, et indole, in sicca, humida, suppurantia, ichorosa, phagaedonica; pro diversa duratione, et vehementia symptomatum in recentia, vetusta, benigna, maligna; pro diverso denique quo generantur, aut sustentur momento causali, in scrophulosa, arthritica, syphilitica, scorbutica, herpetica, aliaque dispesci solent.

Contemplatio phaenomenorum in sensus cadentium, seu generatim formae ulcerum maximae est dignitatis: verumenimvero omnis formae constantia aut mutatio, cum constantia, aut mutatione momentorum causalium, proinde cum ipsa eorundem natura congruere debet, id quod ad determinandum, et curandum ulcus, satis directam Medicis jam viam sternit.

His propositis, tam diagnostico, quam therapeutico respectu eas, quae sequuntur, proponemus divisiones, et subdivisiones. Itaque ulcera sunt

A) Localia seu Topica, a causis topicis orta, haecque a) vel simplicia, praeter suam formam, et naturam simplicem nil aliud referentia, et autocratia naturae saepe sananda, ideo etiam benigna dicta b) vel complicata cum altero quodam in unum, idem-

que tempus cadente malo seu topico, seu universali, tali tamen quod vel eorum effectus, vel coeffectus est, vel saltem, ut singularis nexus considerari debet, juncta, et a sui saepe curatione pertinaci, etiam maligna dicta. Huc callosa, oedematosa, varicosa, fistulosa, spongiosa, ichorosa, cariosa, et gangraenosa ulcera; huc febris depascens, debilitas universalis, tumores hydropici etc. referuntur.

B.) Universalia a causa universali orta, idcirco ut effectus huius necessario spectanda. Huc scorbutica, scrophulosa, arthritica, syphilitica, exanthematica, impetiginosa, physconiosa, scirrhusa, carcinomatosa etc.

Cum forma, et natura ulcerum a diversitate organorum, in quibus figuntur, vario modo dependeat, non inutilis erit a systematibus, et organis corporis totius petita subdivisio: hinc dermatica, musculosa? ossea s. caries, glandulosa, labialia, nasalia etc. ulcera distinguere possunt.

Gradus vitae, quem ulceris natura porrigit, vehementer ulcera in Erethistica, et torpida, vel ut placet, in hypersthenica, seu inflammatoria, seu tonica, et asthenica, seu atonica dividere urget.

Ex quibus omnibus patet nullam horum divisionum per se directe subsistere, sed falcem alterius, in alterius messem continuo immitti; per decursum igitur opusculi huius localia, universaliaque, et erethistica, torpidaque pro fundamento divisionis maxime generali assummentur.

§. 4.

Aetiologia.

Cum ad ulceris naturam eruendam praeter formam externam vel maxime indagatio, atque cognitio causarum necessaria sit; ideo partem aetiologicam diagnosti-

caae praemittendam esse censuimus. Quidquid cohaesionem organicam tollere, abnormem resorptionem inducere, vitam vasorum exaltare, vel deprimere, naturam plasticam humorum secretorum quocumque demum modo mutare valet, id hic suum sibi vindicat locum. Ad causas internas vitae plasticæ totius corporis, aut saltem organi cuiusdam a norma recessus numeratur, id quod debilitate, aut laxitate utrorumque in lucem emergit, ut dein, vel immediate per se, vel mediate, accessione cuiusdam causae alterius producant formae, et mixtionis manifestas mutationes: in specie omnes morbi, qui digestioni, parationi chyli, parationi sanguinis, nutritioni, secretioni, et excretioni abnormi innituntur, uti arthritis, scorbutus, lues venerea, hydrops, retentio mensium, haemorrhoidum, efflorescentiae cutaneae etc. etc. inter causas internas jure referuntur.

Causas externas efficiunt potentiae universae extra corpus organicum sitae, illudque dynamica, vel dinamico - chemica, et quatenus e vulneribus ulcus quoque oriri potest, etiam remotius loquendo, vi sua mechanica offendentes ita, ut partium separatio, et saniei secretio tardius inducatur. Contagia itaque, substantiae acres, causticae, inflammationes locales, vulnera recentia, incongrue tractata, uti unguentis, emplastris non indicatis, deligatio nimis rara, aut nimis frequens, ad catervam harum causarum spectant.

Causa proxima in abnormi reproductione partis adfectae ponenda est. — Functio, et cohaesio partis organicae laesa, aequilibrium inter actionem, et reactionem ibidem vigentem non tollere non potest. Neque igitur secretio, et excretio ab norma abludens eam, quam in statu illaeso praestolamur, humorum conditionem, sed longe aliam, quam nempe ichorem aut saniem adpellamus, producit materiam.

§. 5.

Diagnosis.

Ulcera longe melius in lectis aegrorum, quam libris dignosci possunt. Naturam eorum eruit ratio, formam sensus. Cognitiones itaque empiricae hic summae sunt dignitatis; hauriuntur autem 1. e idversa ulceris facie, quam superficies, et margo constituit. 2. e diversa indole materiae per ulcus secretae 3. e statu partium ulceri vicinarum. 4. denique e gradu, et indole virium vitalium. En diagnosim singulorum una ob intimum nexum cum aetiologia!

§. 6.

Ulcera Localia.

A. Simplicia: congruunt cum vulnere suppurante, nec in processu eorum, nec in forma, et mixtione quidquam secus alieni adparet. Margo aequabilis, laetus, secretio puris bonae indolis, tota superficies sanis, rubicundis, molliduris carunculis interstincta, velut totidem amissae substantiae restaurandae moliminibus, quibus tandem in unum coalitis, integritas partium reipsa reducitur. Similia ulcera non aliunde, quam e causa topica, seu interna, seu externa evolvi possunt, et neque aliter, quam processu vitali, secus ad normam constituto, simplicem suam innoxiamque naturam, quin in peius vergant; retinere queunt.

B. Complicata formam, et mixtionem alienam referunt; processus vitalis aut elatus est, aut torpet; materia secreta perversa; partes vicinae inflammatae, durae, varicibus, oedemate, carie etc. notatae, corpus reliquum totum in consensum trahunt, cito degeneratura, et stragem illatura saepe irreparabilem. Subdividuntur in erethistica, et torpida, quae divisio ad omnia ulcera quoque adplicari potest.

Erethistica sublimem sensibilitatem, irritabilitatem, hinc statum inflammationis praecipue produunt, superficies eorum est rubra, aut subfusca, margo acutus, ambitus plerumque, nec tamen semper, eodem gradu, tumidus, laete inflammatus, tactu calorem, duritiem, aegro autem dolorem relinquunt; secretio, et excretio est in ratione inversa gradus inflammationis, hinc parca, mucosa, sero, sanguini propius accedens; ipsum ulcus levi pressione vel et sponte sanguinem fundens. Accedit per consensum vasorum irritatio, et ita febris roborat naturam ulceris erethisticam. Supponunt igitur vel processum vitalem vel praecipue functionem partis ulcere adfectae quoad alacritatem suam esse exaltatam; verum et secus ulcus quodlibet pro tempore saltem, usu nutrientium, aromate, et spiritu scotentium, actione aeris atmosphaerici, stimulisque diversis, balsamis, unguentis, linteo carpto nimio, et aliis, provocata reactione, exaltari potest.

Torpidae respectu priorum poli oppositi rationes sequuntur. Robur et alacritas vitae in illis prostrata sunt, sive id a debilitate universali, sive topica, organi sedem iis praebentis repetatur; margo, et partes vicinae collabuntur, vel oedemate eriguntur, colorem caeruleum ludentes: superficies laxa, pallida, aut lurida, colorem plumbi referens, parum aut nihil sentiens, fundit materiam tenuem aquosam, seu saniem. Quaedam ab ortu suo hunc praeseferunt characterem, dum quaedam per decursum suum diverso potentiarum nocentium interventu nonnisi talem induunt.

Ita abusus adparatus antiphlogistici circa vulnera, abscessus ulcerum erethisticorum, regimen vitae nimis tenue, abusus fomentorum, unguentorum in torporibus ulcerum secutis persaepe adcusantur. Nunc jam ad varietates ulcerum complicatorum, sive illa naturae erethisticae, sive torpidae, quod potissimum praevalet, signa praeseferunt, transgredi necesse est. Itaque

a) **Ulcus callosum**: refert margines crassos pro-

minentes plerumque laeves, interdum collium adinstar erectos, pallidos, siccos, ad modum cartilaginum duros, omni- que sensu privatos. Sedes itaque callorum potissimum ad margines restricta est, quin tamen desint casus, in quibus ipsam quoque superficiem adfligere nituntur ita, ut insularum, aut peninsularum forma sat irregulari in eadem prorumpant; color superficiei luridus, materia secreta tenuis, aquae similis. Ulcus totum raro vel certis tantum periodis dolet, naturae ut plurimum torpidae, partes vicinae durae.

Innititur formae vel mixtionī abnormi in defectu humorum, quo margines laborant, seu siccitate textus formativi, et fibrarum radicatae. Quidquid igitur humorum nutrientium adfluxum in partes laesas retinet, aut quaecunque ratione eosdem prodigit, ut causa callorum adcurari debet. Dispositio ex aetate, et structura partium quarumdam corporis praecipue in medium protrahenda sunt. Ita senes, in quibus circuitus humorum multum infractus est, ita crura, praecipue ad tibiā, et malleolos, ob membranā muscularem, et adparatū ligamentorum, vestitumque pedum circuitui humorum minus faventium poenae callorum subjecta sunt. Ita ulcera chronica, aut quaecunque stimulis justo fortioribus tractata, ita inflammationes chronicae in ulcera callosa transmigrare possunt.

b) *Ulcus oedematosum*: cognoscitur marginibus pallidis, frigidis, inflatis, superficie discolore, consuetim laevi, plana, parum sensibili, brevibus: adspetu toto pallido, atque laxo. Materia secreta multa, tenuissima. Partes vicinae tumore hydropico levatae, pallidae, et splendentes, nonnunquam inflammatione coloris rosei notatae, pultis adinstar tangendae, pressione foveam relicturae.

Superstructa sunt confluxui, et stagnationi seri, in textu cellulari, infra cutem partis adfectae locato. Quae refluxum humorum e parte ad passionem damnata impediunt, aequilibrium secretionum, et resorptionum tol-

lunt, secretionem humorum retinent, eos copia, et indole in plus et tenuius mutant, topicam vel universalem debilitatem inducunt, causae, ut: praegressae inflammationes, efflorescentiae cutaneae, profusi sudores, infarctus viscerum abdominalium, graviditas, luxationes etc. hoc malum excitare noverunt.

c) *Ulcus varicosum* per varices circumjacentes, jam nimium, jam parce extensas quibus nomen, et originem suam debet, facile dignoscendum. Margines callo signati, aut quod rarius est, squammis conferti. Superficies colorem reflectit subcaeruleum. Materia secreta serum, et sanguinem sistit. Partes vicinae varicibus perplexae, colore fusco tinctae. Ulcus ipsum vehementer interdum, interdum paucillum dolet, unde tum erethisticum, tum torpidum, cui alteri tamen magis amicum est, characterem elicit: venae varicibus ruptis non raro sanguine manant. Impeditus refluxus sanguinis huic ulceri suum fulcrum largitur, plectuntur eodem idcirco vel maxime extremitates inferiores. Pressio mechanica truncorum, et ramorum majorum systematis venarum, ut graviditas, infarctus item viscerum abdominalium, tumores duri, fasciae, immoderata pedibus insistentia, venarum debilitas, aliaque, ut causae excitantes adcurari merentur.

d) *Ulcus fungosum* ab excrescenti, seu proge-
nie organica parasita, quoad proprietates externas, fungi similitudinem referente, sibi que conjuncto, denominatum, et solo intuitu, per reflexionem ad fungos, determinandum. Fungorum consistentia mollis, laxa, mucilaginea, insensilis est, vel dura admodum, et dolorifica, color pallidus, vel profunde ruber, aut nigro caeruleus: eriguntur vel e tota superficie, et marginibus ulceris, vel e parte ejusdem tantum, vel denique e solis, iisque laxis, aut durissimis marginibus. Materia secreta aquarum adinstar tenuis, vel sanguinea, mucilaginea, nigrescens, ichorem depromens, putrida foetens.

Fundatur in diuturno torpore ulceris, atque sta-

gnatione humorum, in dilatatis, et relaxatis vasis, aut vero topico infrasito ossis, aut tendinis vitio, semper igitur progenies noxarum aliarum.

e) Ulcus in minori putridum in majori gradu gangraenosum dicitur. Characteres hujus, praesertim relate ad ortum, pro varia causa diversi sunt. Quod ab exaltata nimio opere vita per se, aut per stimulos producitur, horrendo dolori prius obnoxium, partes vicinae summe inflammatae, purpureo, et fusco colore noscendae, superficies ulceris sicca, nigra mox in crustam abitura, et celerrime diffundenda. Si torpor vitae ad id generandum concurrerit, reactionem vix ullam, superficiem griseam, insensilem, partes adsitas roseas, tum violaceas, tandem totam plagam nigram, continuo ultro serpentem videbis. Quod miasmate, aut contagio excitatum fuerit, in eo praeter vehementes capitis, et oculorum dolores, superficies semper rotunda, sicca, dolorifica, tum albescente, tenaci mucō obducta, tandem grisea, nigra, cum foetido, cadaveribus proprio, serius in mollem rubicundam crustam abituro ichore, partibus autem vicinis obscuris, caerulescentibus, tandem nigris occurrere solet; semper praeterea in ulcere gangraenoso vita tota patitur, quam eminentem passionem febris vehemens, parvus, et irregularis pulsus, sudor frigidus, deliria, et virium ruina nimis eheu! confirmant.

Hinc patet naturam eius in consumptis viribus vitalibus partialibus, et devastata materia organica positum esse. Impedita, aut penitus sublata circulatio, neglecta mundities ulceris, rara, immunda deligatio, therapia nimium stimulans in erethisticis, atque neglecta in torpidis, aestus nimius, aër corruptus navalis, nosocomialis etc. huic ulceri excitando favent.

f.) Ulcus fistulosum a reliquis facile sua conformatione discernendum, refert cavos inter textum cellularem, et cutem, cutem, et musculōs, aut inter ipsos musculōs decurrentes, atque suppurantes ductus, e quibus, praecipue pressione ichor pro ratione loci, quo cum

in contactu sunt, urina, saliva, bile etc. remixtus elicitur. Relate ad situm, et directionem dicuntur longa, brevia, recta, curva, simplicia, ramosa, angusta, ampla, callosa, membranacea, perfecta, imperfecta, completa, et incompleta. In specie completum duobus, in cōpletum uno orificio instruitur. e. g. Quod a superficie corporis in cavum quoddam, aut vicissim prorsus penetrat, completum, secus incompletum erit. Quotiescunque ulcus quoddam respectu suae magnitudinis, et naturae justo plus materiae secretae fundit, quotiescunque materiam secretam, et foras elicitam, alia ad pressionem partium vicinarum, aut situm corporis mutatum subsequitur, quotiescunque porro aeger, extra limites immediatos ulceris dolores, vel tensiones percipit, ac demum in hac regione durities, aut fluctum referens eminentia conspicitur; toties ulcus fistulosum supponere fas est, quod adhuc investigatio, medio styli suscepta, tandem extra omne dubium ponit. Stylus argenteus capitulo instructus levis, in omnem partem flexilis ulceris fistulosi situm, et directionem quam optime detegit. Pollice, indiceque leviter capiendus per ulcus apertum delicate (nam omnis impactus parieti canalis illatus noxius est) inducatur, idque sub diversa partis adfectae positione, atque vicibus vario tempore repetitis: in quibusdam locis ut infra sequetur singulares sub investigatione leges praescriptae sunt.

Quae puris, aut saniei effluxum in ulcere quocunque retinent, causae huc referendae sunt. Sedes ulceris quae saniei profundum petenti favet, inepta deligatio liberam excretionem coercens, tarda abscessuum, aut non congruo, effluxum minus promovente loco facta aperitio, emplastrorum, turundarum abusus, marginum, antequam superficies reducta sit, concretio, inter causas praecipuas numerari debent.

Ex hucdum dictis patet, tam ea, quae ductus, seu sinus in omnem partem sibi quaerunt, quam ea, quae in cava alia penetrant, ulcera, seu fistulas, etsi quidam has ab

ulceribus fistulosis distingvant, ad unam eandemque speciem referri, atque fistulas hic loci commemorandas esse. Laesiones cavorum, et ductuum excretoriorum, et harum sequelae, obstructions item, ac extravasata sibi novas vias legentia, praeter causas superius adductas fistulis producendis favent.

aa) Fistula salivalis est parvum angustum, callosis marginibus munitum, in regione ductus Stenoniani, aut glandulis ipsis salivalibus, e quibus praecipue sub sermone, et manducatione saliva profunditur, situm, atque e causis superius adlatis ortum ostium.

bb) Fistula biliosa in sequelam concretionis cystidis felleae, cum peritoneo ortam, eiusdem cystidis felleae, aut ductus choledochi partium discretionem refert, plerumque in regione hepatis, raro remotius, in superficiem corporis externam prorumpentem. Causae: hydrops vesiculae felleae se per tumorem infra cartilagineas spurias dolori junctum, et post bilem in canalem intestinale effusam, secutamque inter dolores colicos bile remixtam alvum, interdum imminutam, prodens, qui itidem in calculis biliosis, et hi altius causam suam quaerere debent. Abscessus quoque cystidis felleae, ac ductus choledochi, malum, de quo loquor, producere valent.

cc) Fistula stercoracea sistit aperturam in superficie corporis sitam, cum tubo intestinali communicantem, quae, si alvi excretionem totam quantam transmittat, anus abnormis, seu artificialis adpellari consuevit. Apertura externa rotunda, contracta, rugis radiatis cutis notata, marginibus erethysticis, rotundis circumjecta est. Altius locata chylum ad rationes corporis damnificas, finem vero ilei, aut colon ipsum impetens, faeces eicit. Occurrit interdum cum prolapsu intestinorum, in quibus adstrictione quoad molem, auctis, quiete, aut situ corporis horizontali imminutis, color ruber, mucus, et interdum motus peristalticus observari potest.

Vulnera in cavum abdominis penetrantia, herniae, abscessus etc. huius mali causam post se trahunt.

dd) Fistula ani: ductus omnis circa regionem intestini recti situs, seu solum extus apertus, juxta huius membranam extimam decurrens, seu intus, extusque, aut alterutra ratione apertus, omnes eius membranas pertundens, fistula ani dicitur. Itaque fistula ani vel completa est a superficie corporis in cavum intestini, et vicissim penetrans, vel incompleta a superficie corporis usque membranam extimam, (incompleta externa) vel e cavo intestini recti versus superficiem corporis, non tamen pertusam (incompleta interna) directionem suam servans.

Cognoscitur e modo oriendi, e transitu gas, via consveta neglecta, per ostium ulceris prorumpere solitorum, vel et ex egressu foecum, hoc insolito tramite ruentium. Certissimum tamen in stabilienda diagnosi criterium est investigatio medio styli suscepta. Aeger ad latus partis adfectae in lecto, aut mensa collocetur, extremitas inferior parti fistula adfectae correspondens in rectum extendatur, altera vero versus abdomen, in quantum licet, protrahi debet.

Clunes ab invicem per adiutorem dilatatae serventur, et investigator indice manus sinistrae oleo inuncto, in intestinum rectum inducto, manus dextrae pollice, et indice captum stylum argenteum per ostium externum in canalem fistulae inducat, solliciteque, ac dextere quaerat, an membranae intestini recti omnes, et ubi pertusae sunt; quod in diem emerget, si altera styli extremitas, cum indice in intestino haerente immediatum contactum prodiderit.

Excitari potest fistula ani per laesiones membranae intimae quocunque modo illatas: per corpora peregrina cum foecibus recedentia, per nodos haemorrhoidales, extus per abscessus in regione ani formatos. Nonnunquam effectus critici sunt pulmonis, aut hepatis morbo subjecti.

ee) Fistula urinaria omne ulcus involvit.

quod cum organis uropoëticis communionem fovet. Eodem modo, ut fistula ani subdividitur; ostium externum in perinaeo, scroto, pene, natibus, femore, abdomine, vagina, aut intestino recto; internum vero in renibus, ureteribus, vesica urinaria, et urethra patere potest. Fistula urinaria incompleta prae caeteris in regione urethrae prorumpere, et cum indurationibus, cum carie ossium complicari amat; urinam nunquam, et quamdiu persistit, urethra pus nunquam prodere solet, neque stylo in urethram, aut vesicam urinariam concedit meatum. Fistula urinaria incompleta interna urethram plectit potissimum, dolore sub mictu, fluxu sanguineo, purulento, praepremis tumore sub excretionem urinae augendo, pressione minuendo, aut plane sufferendo cognosci solet. Laesio urethrae potentiis externis, urinae retentione, improvida catheteris applicatione, calculi interceptione, prope sitis abscessibus praeter alia formatur. Fistula urinaria completa frequentia sua superat reliquas, ostia supra enumerata intus, extusque agnoscit, et per cava, quibuscum communicat, urinam, aut semper, aut solum sub mictu effundit. Ab retentione urinae, laesione, ruptione vesicae urinae, fistulis incompletis, lythotomiis, difficili partu, ulceratione vaginae, et carcinomate ejusdem, ac intestini recti originem suam jure repetit.

g) **Ulcus cariosum: caries ossium:** in ossibus fixum partim ossis, partim ichoris constitutione proditur. Os denudatum fusco, vel et nigro colore tinctum, flexile, superficie inaequali, aspera, interdum ex crescenti fungoso, vel carnosissimo obsessa, ichor vero nigrescens odoris fastidio pleni, nonnunquam granulis arenam referentibus remixtus, telam albam, et argentum nigro inficiens colore, superficies aspera non semper manu, sed stylo potissimum detegi solet, atque summum cariei characterem sistit. Ulcus omni curatu pertinax, aut ingenti fatigio curatum iterum erumpens; fungus e superficie ejus erectus, et dolor profundus, si non cer-

titudinem, gravem omnino de cariei praesentia suspicionem jaciunt.

Distingvi solet 1. Caries siccā, quae osse colore suo in summe album transmutato, penes retentam levitatem pedetentim ita sicco evasuro; ut cum partibus vicinis mollibus nullam patiatur unionem, sicque in mortem partialem abituro, manifestatur. 2. Caries hūmida colore ossis prius flavescenti, tum fusco, et tandem nigro, superficie aspera, ex interstitiis suis ichorem nausea gravem eliciente, distingvenda. 3. Caries fungosa praeter poros a vi corrosiva ichoris repetendos, excrescentia fungorum imaginem ludentia referens. 4. Caries carnosa, quae substantiam ossis totam velut in carnes transgressuram offert. 5. Spina ventosa, seu caries maligna, e cavo medullari ossis orta, versus huius superficiem tumores inaequales moliendo, doloribus rodenti-pungentibus, iisque gravibus juncta cognoscitur. 6. Neerosis, seu sphacelus ossium, effectus cariei, praecipue siccāe, aut potentiarum nutritionem ossis retinentium; partialem ossis mortem sistit, utique abigendi, novo subnascituro. Opus naturae stupendum, priusquam os morte concussam, e corpore abactum sit, saepe heroice aliud eidem substituendum parat. *)

Consistit immediate in vitio formae, et mixtionis ossium; quamquam Cell. Bell in sublato nexu vasorum nutrientium cum osse, et Lentin in separatione acidi phosphorici ab calcaria causam proximam directe collocarunt. Excitatur potentiis: percussione, contusione, exagitatione vehementi ossis, varicibus proxime adjacentibus, tumoribus cysticis, hydropicis, privatione periostii, et accessu aeris ad os denudatum, vulneribus, sanie ab ulceribus

*) Anno 1833 vidi in Clinico Chirurgiae Practicae Reg. scient. Univ. Pestiensis puerum, cui maxilla inferiore Neerose destructa aliam integram natura substituit.

penetrante, remediis causticis, inflammatione, suppuratione periostii utriusque etc.

h) Huc demum spectat *Ulcus syphiliticum primum*, in loco, quo contagium egit, provocatum. Intra 1—6 dies macula rubra, parva, elevata, cum sensu tensionis, et ardoris conjuncta, in cujus medio vesicula parva, liquido pellucido repleta sequitur, prodire solet, vesicula in ulcus superficiale, aut profundum abit, marginibus callosis, superficie lardacea.

Propositis hoc modo ulceribus localibus, eo tamen solum sensu, quatenus causis topicis, non vero universalibus internis producuntur, superest de *Ulceribus Universalibus* verba facere.

Ulcera Universalia.

Seu *Erethistica* sint, seu *torpida* spectant huc: 1. *Ulcera scorbutica*. 2. *Scrophulosa*. 3. *Arthritica*. 4. *Syphilitica secundaria*. 5. *Impetiginosa*. 6. *Cancrosa*; quibus omnibus causa universalis pro fulcro erecta est.

1. *Ulcera Scorbutica* effectum enunciant morbi universalis, nempe scorbuti; praeter phaenomena igitur morbo huic propria, utique e *Pathologia speciali* nota, maculae primo, jam morsibus pullicum, jam lenticulis similes evolvuntur, profunde rubrae, aut caeruleae, tum oedemata, aliique tumores, in ulcera lurida, foetentia prorumpendi, margines horum brunescentes, aut profunde caerulei, fungosi, relaxatam, et communiter planam superficiem cingunt, quae vel minima pressione nigrescentem, gravem, saepe neque coagulandum sanguinem fundit. Ichor sanguine decomposito potissimum remixtus, tenuis, odorem, qui vix perferri potest, ingratisimum spargit, et sub longiori morbi decursu, ipsa attingitur ossa, eversionem horum intenturus. Sedent in *gingivis*, foemoribus, cruribusque, oedematibus limitata.

2. *Ulcera scrophulosa* habitum scrophulo-

sum comitari solent. Flaccida sunt, pallida, lardacea, laxa a superficie saepe separatis, tumidulis, duris, ac dolorificis marginibus circumdata. Pus majoris consistentiae, album, lacti coagulato simile, dein in aqueum, acremque ichorem abscessurum, et, si adjunctis ita volentibus, in articulationibus fixerit sedem, postremo spinam ventosam post se tracturum: extremitates superiores, et collum, postquam vasa, glandulaeque lymphaticae tumoribus impetitae forent, maxime plectunt. Tumores augentur sensim dolore aequo, ac mole, et inaequabiles, immobilesque, velut concreti cum cute superposita redduntur. Ideo cutis qua teguntur, colore rubicundo, aut profunde rubro tineta serius in ulcus rumpitur, autumno salutem, vere stragem aegris dictare solitum.

Differunt ulcera scrophulosa a syphiliticis, et scirrhis, ut sequitur:

a) Ulcera scrophulosa morbi universalis in systemate lymphatico fundati progeniem ex habitu scrophuloso cognoscendum sistunt. Syphilitica, et scirrhis sequuntur malum topicum, aut vero ex hac ortum malum universale. *b*) Scrophulosa impetunt aetatem infantilem, puerilemque, syphilitica (ni per exceptionem contracta sint) in sequelas contagii, juvenilem, atque virilem, scirrhis vero aetati proveciori maxime propria. *c*) Scrophulosis omnes; syphiliticis tantum externae, loco suscepti contagii proximae, lymphaticae; scirrhis denique secernentes glandulae obnoxiae esse consueverunt. *d*) Glandulas scrophulosi correptas nunquam vehemens; eas vero, quas venus ingressa est, vehementissima; scirrhis tandem, nulla inflammatio, sed dolores ardentis, pungentesque insequi solent.

3. Ulcera arthritica symptomata evolutae, aut occultae arthritidis depromunt; ut pro talibus haberi possint, phaenomena arthritidis ut: Chymi, et Chyli paratio, urinae secretio abnormis, diversi pertinaces, aut periodici dolores, aliaque in consilium vocanda sunt. Quateus ad

forum hoc spectant, tumidos, pallidos, duros, non vero callosos margines, superficiem vero minus rotundam, potius irregularem, late diffusam sistunt; tenuem, aquae similem, admodum acrem, neque vicinis partibus parcentem, nonnunquam telae albae colores nigros imprimentem, eamque largam saniem fundunt. Adfligunt vel maxime articulos Extremitatum inferiorum (nec aliis parcunt partibus.) autumno, et hyeme frigida, humidis tempestatibus, post refrigerium, aliosque errores diaeteticos commissos. Temperamentum sanguineo-cholericum, habitus, robur musculorum, cutem pilis obsitam, caput magnum, extremitates longas offerens, iisdem prae caeteris materiam flammae largiuntur.

4. Ulcera syphilitica secundaria *) producta sunt syphilidis universalis systema dermaticum adflictantia. Eas lubentissime partes torquendas praesuscipiunt, quibus proxime ossa substernuntur; uti est regio capitis, tibia etc. sed cavum oris, nariumque frequentius his malis cruciatur. In cute externa praecedere solent tophi, dolores nocturni, tumores glandularum, condylomata, maculae syphiliticae, donec tandem ulcera areis purpureis cincta, nullum dolorem excitantia, late, aut profunde serpentina, accerrimum ichorem secernentia, in lucem emergant. Babones, seu tumores glandularum lymphaticarum contagio syphilitico producti, in ulcus aperti, superficiem inaequalem, rejectis, callosis marginibus, et vicina duritie, valvatam porrigunt. In cavis praememoratis praecedunt mala, adfectionibus cartarrhalibus similia, difficultas manducandi, loquendi, deglutiendi, donec ulcus tandem apertum naturam syphilidis prodat.

5. Ulcera Impetiginosa: si naturae herpe-

*) Ulcera syphilitica primaria, et secundaria. eiusdem naturae sunt, sed quoad formam, et decursum diversa, ideo lege servandi ordinis logici, quatenus topicis partim, partim universalibus causis adnumerari possunt, divelli debuerunt.

ticae sint, tunc plana, circum circa diffundi solita, pruritus, et ardorem horrendum excitare pergunt. Primo inflammatiunculam, vel parvam vesicam in quocunque demum cutis loco observare licet, hanc mox insequitur crusta, aut squamma minutim, vel majorum pustularum instar ab ulcere recedens, cui sat cito aliae, atque aliae eodem, quo prius modo, succedunt, et saepe corpus organicum ad stuporem obsident, devastantque. Pro varia forma subdividuntur in furfuracea, crustacea, squamosa, pustulosa, phlyctenoidea, erythaemoidea; pro gradu vehementiae in rodentia, seu phagaedenica, seu excedentia, et mitia, de quibus uberius disserere Pathologia specialis debet.

An e singulari dyscrasia, an e vicium vitalium, et organi, quod impetunt, partiali mutatione, an e malis quibusdam universalibus originem suam repetat, adhuc sub iudice lis est. Experientia constat ea frequenter in adfectione cutis radicari, frequentius vero morbos alios, ut: scrophulas, scabiem, rheumatismum, hysteriasim, hypochondriasim, haemorrhoides, mala gastrica, vitia hepatis chronica, fluxus menstruos irregulares etc. insequi. Neglecta cutis mundities, propensio eius ad sudores, irritatio frictionibus, inunctionibus, gestu vestium lanearum inducta, ut causae herpetis considerari merentur.

Hic loci *Tinea capitis*, et *crusta lactea*, ut plurimum cum scrophulis, et herpete conjuncta commemorari debent. *Tinea capitis* duplici potissimum forma comparet, *achoris*, et *favi*. *Achores* sunt ulcera capitis manantia ex pustulis in ipsius cute excitata; foraminulis plurimis pertusa, humorem tenuem, et glutineum fundentia, qui non sine foetore pilos etiam conglutinat; ulcuscula autem ista in diversis, ac sejunctis, capitis locis erumpunt, et nonnunquam etiam ad faciem proserpunt. *Favi* ex tuberculis piso aequalibus, majora habent, quam *achores* foramina, humore melleo, foetido, atque glutineo referta, quae interdum ex-

crescentibus exilibus, subrotundis, atque flavis obsessa sunt: aliter solet *Tinea capitis* etiam in favosam, granulataam, furfuraceam, asbestinam subdividi.

Crusta lactea aliud ulcerum manantium genus in facie constituit. Cutis in mento, fronte, aliave parte rubet, et per minimas pustulas exasperatur, sanie viscidam tenuem fundentes, ex qua crustae fiunt modo pallidae, modo flavae; singula haec ulcera cum insigni prurigine, et scalpendi cupiditate conjuncta sunt.

Crusta serpigiosa dicitur semper cum lactea esse complicata, atque a parentibus, vel nutricibus syphilide, aut herpete adfectis contracta.

Quodsi naturam scabiei praeseferant, s. psorica, semper post scabiem neglectam, aut retropulsam oboriuntur. In loco quodam vesiculae multae erumpunt, sensim confluxurae, et sanie acrem, partes vicinas adgradientem profusurae; hinc notabilia ulcera, crustis humorem acrem exudantibus, margine crasso provisus, et parvarum vesicularum circulo limitatis evolvuntur; praegressa, aut praesens, quae contagio proprio excitata fuit, psora hanc diagnosim plurimum illustrabit.

6. *Ulcus cancrorum, cancer, carcinoma:* dirissimum, indolis initio perquam subdolae, corporis, animique strages horrenda. Comparet in parte quadam, frequentissime in labiis, naso, testibus, mammis, et utero tumor durus, doloris omnis expers, quem fallaci lenitate in extensione sua serpentem, tardius ictus velut electrici nonnunquam percellunt; tumor dein durtiem saxi adeptus, varicibus cinctus, inaequalis, colore rubro, vel caerulescente notatus dolores acu purgentes, vel prunis urentes depromit, (scirrhus) donec tandem exutis, quibus larvatus fuit, levibus phoenomenis, horrida sub forma praesentiam suam aegro, et medico, sed Dii! zero nimium enunciat. Epidermis videlicet recedit, humor corrodens proscaturit, tumor totus rumpitur, et in ingentem degenerationem relapsus ulcus marginibus reflexis, dolorificis, superficie inaequali, saepe fungis ob-

nessa, ichore tenui, obscuro, corrorente, foetoris proprii, atque doloribus pungentibus, ardentibusque in lucem emergit; (Cancer apertus) Singularis huius ulceris, et totius aegri habitus, quem semel videre, quam describere pluris est, diagnosim ejusdem mirum in modum illustrat. Pro varia organi, quod ad hoc ulcus damnatum est, structura, situ, et functione, varia adhuc, eaque gravissima videbis phoenomena universalialia.

Natura eius incognita, frequenter et causae. Praesupposita dispositione praecipue in systemate glandulari, et lymphatico fundata, pressio, contusio, inflammatio glandulae cuiusdam, vel circulatio abnormis, congestiones, stagnationes, nutritio partium nonnullarum impedita, victus tenuis, malus, (in Hungaria e brevibus tubulis herbae nicotianae fumigatio) ut causae excitantes in medium proferri solent; sic enim glandulae quaedam a norma sua revehi, sensim in degenerationem abire, productum (contagium specificum juxta multos) morbosum secernere, eoque glandulas vicinas, tandem systema universum infici statuitur. Ex his patet malum et toxicum, et universale existere posse.

§. 8.

Prognosis.

Exitus ulcerum diversus esse solet. Dependet 1. a natura, et causis. Simplicia, topica, a causis levibus illata, sola saepe autocratia naturae, aut causis excitantibus, et sustentantibus remotis, cito sanantur. Universalialia a diversa natura sua dependent, scorbutica, arthritica, scrophulosa, syphilitica, cancrosa, saepe summis difficultatibus obnoxia sunt, praesertim, si labe haereditaria influxum exercent. Cancrosa cum lurido faciei colore, oculis rubentibus, inflammatione, et supuratione glandularum Meibomii, tumoribus glandularum subaxillarum, et ingvinalium conjuncti, exitum in mortem praesagiunt. 2. Dependet ab aetate, et forma ul-

ceris. Vetusta chronica ulcera, notabilioris extensionis per continuum humorum deperditionem, debilitatem universalem, turbatam adsimulationem, febrim depascentem, horumque sequelas tristes inducere valent. Superficie lardacea impura, profunda, productis parasitis; ichore foetido, acri; marginibus callosis, prominentibus; ambitu rotundo praedita, difficilius, ac sub contraria rerum positione sanantur; ut sunt fistulae nimium pertinaces. 3. Exitum determinat situs partis ulcere adfectae. Ulcera Extremitatum praecipue inferiorum pertinacius, ac ea trunci, medellae resistunt: ita faciliora curatu erunt in cute, ac in tendinibus, periostio, ossibus sedem habentia.

Quae glandulas impetunt, penes habitum cachecticum pessimos exitus nanciscuntur. Carcinoma uteri plerumque tristem, mammarum nimis dubium, prae caeteris, hoc hoste infestatis partibus, finem habere solent. In genere organis nobilioribus insidias struentia, aut cavis adjacentia tristius, ac alia terminari debent. 4. Denique Prognosim aetatis, temperamenti, habitusque diversitas dirigere solet: aetas juvenilis, constitutio bona, morbi praegressi pauci, aut nulli, praesens senibus, exhaustis, cachecticis ulcerum sequelas minaces citius effugiunt. Specialiora quoad exitum hinc inde adhuc sub Therapiae decursu commemorabuntur.

§. 9.

Therapia.

Vix aliae existunt malorum formae, quibus tot, tantaque opponerentur media, quanta ulceribus delendis. Praeter magnum unguentorum, emplastrorum, aliorumque rationalium pharmacorum numerum, adhuc fere singulae matresfamilias emplastris miraculosis, agyrtae balsamis, pastores, vespillonesque variis sympatheticis curis misero, hac labe notato, succurrere discunt. Primis generis humani temporibus ulcera, laesionibus, contusionibus, labore contractis, et minus convenienter tra-

etatis, primum probabilius constituere morbum, huic vero non aliter, quam instinctu naturae, foliis plantarum, quod et hodie apud plebem cernimus, adplicitis, mederi noverunt. Quamquam genus humanum in ortu suo penes simplicem vivendi rationem, hoc modo malum sublatum esse animadverteret, virtutesque tandem, nonnullis plantis specificae tribuerentur, sub eo tamen, quem hodie videmus, rerum statu, ubi infracta virtus vitalis, tot, et tantis renitendo malis minime sufficit, etiam varietas remedium in lucem prodire debuit. Quae igitur hic primo in genere, dein in specie proponere oportebit, uti eadem ratio, et experientia hucdum dictare adnisa est.

Primum est, quam solertissime inquirere, an topicum, vel universale, an primum, vel secundarium, an sympathicum, vel antagonisticum, aut symptomaticum, recens, aut vetustum, habitualeque ulcus feriat aegrum. Atque tum omni studio causae sustentantes removeri, his vero non eratis vires vitales ad malum delendum prudenter sollicitari debent. Praecipuam circumspectionem ulcera topica vetusta hiece merentur, utpote quorum sanatio non leves turbas in universo corpore excitare valet; longa enim eorum aetate secretio puris per consuetudinem transit in normam, quam laedere nefas. Idcirco palliative procedendum, extensio illius, et copia secretae materiae limitanda, forma, quantum fieri potest, emendanda erit, et malum de radice hoc procedendi modo facile convelli potest: quod enim sensim, sensimque a norma recessit, sensim iterum ad eandem reverti debet, id quod virtute fonticulorum interdum fieri videmus.

§. 10:

A. Therapia Ulcerum Topicorum simplicium.

Aeger in consveta sua vivendi ratione plane non turbetur, ad summum ea, a quibus vulnere suppuranti,

teste experientia directum damnum imminet, uti caro salsa, aromate condita, pernae, legumina, potus spiritu fortes etc. vetita sunt. Pars adfecta quiescat, ulcus vero ipsum topice plumaceolo, quod sebo recenti, aut alia miti pingvedine, vel unguento altheae simplici, unguento digestivo illitum est, veletur, et levi deligatione firmetur. Idem quoque fieri potest frustillo telae aquae tepidae, aut infusis emollientibus immerso, ut influxibus externis aditus praeccludatur. Deligatio per diem semel fiat, nisi copia, et indoles materiae secretae acstivis praecipue mensibus repetitas vices deposerent. Hac ratione sanies continuo cohaerentior, inodora, ad pus optimum accessura, (stadium detersionis) mox evolutio, et continua elevatio carnearum rubello colore nitentium papillarum, (stadium granulationis, incarnationis) tandem vero earumdem firmitas, mutus accessus, consolidatio, et cuticula tectio (stadium cicatrisationis) insequetur.

Nonnunquam haec reproductio copia, et indole peccat; si nimius adsit reproducendi nisus, vitae vigorem victu tenui, vegetabili, aut hoc non sufficiente adparatu antiphlogistico infringere necesse erit. Ulceri linteum carptum, siccum imponendum, et deligatio firmior facienda, ad humorum adfluxum vero moderandum, fasciae spiralis usus multum conferre valebit.

In altiori gradu caustica: alumen ustum, mercurius praecipitatus ruber, aut optime lapis infernalis, coerendae huic granulationi opponi debet. Si perexigua, torpida sit reproductio, quam ex lentissima superficiei elevatione nosces, in subjectis plerumque debilibus, senibus, male nutritis; tum necessario diaeta nutriens, roborans, carnes, vinum, vel et remedia e penu stimulantium, roborantiumque protracta indicantur. Topice balsama, partibus vero ulceri vicinis, fomenta, aromate, spiritu imbuta, aliaque humorum adfluxum derivantia adplicentur. In casu extremo margines etiam vi mechanica sibi adducantur ad concretionem eo citius procurandam.

In casu, ubi ratione indolis reproductio peccat, ubi videlicet granulatio celerrima, coloris pallidioris, cohaerentiae laxae, mollis, sensu destituta, levi attactu sanguine manans (caro luxurians) in subjectis laxis, aut ulceribus abusu emollientium tono suo privatis, in lucem emergunt; ibi pro cibis caro sicca dictetur, attenuantia evitentur, atque sicca, magisque firma deligatio instituitur. In gravioribus adjunctis:

Rp. Lapidis infernalis

drach. semis.

Solve in aquae destillatae simplicis

unciis 6—9

adde

Tincturae opii compositae

drach. unam, et semis.

Vel decoctum ulmi campestris, corticis chinae, salicis, quercus, hypocastani, solutio aluminis in tinctura myrrhae, pulvis mercurii praecipitati rubri, camphora, quibus tamen omnibus lapis infernalis palmam praeripit, carni luxurianti applicari debent. In casu vero valde pertinaci, lapis infernalis heroice in usum trahitur, usque totalem carnis destructionem, quae si rebellis, iterum, iterumque redeat, ulcus complicatum erit.

§. 11.

B. Therapia ulcerum localium complicatorum.

Character erethysticus horum ulcerum pro ratione gradus, et extensionis methodo antiphlogistica infringi debet; huc interne sales, praecipue nitrum in gradu altiori, topice fomenta emollientia sola, aut in conubio cum hyosciamo, cicuta, praesertim doloribus magnis locum habentibus; evitentur igitur irritantia, (ut mercurius praecipitatus ruber, inconsiderate saepe adhibitus) quibus torpor, et non raro gangraena postremo induci solet.

In caractere torpido vires erigantur, quod a debito roborantium, et stimulantium usu expectare licet. Huc praeter diaetam leniter stimulantem, nutrientem, externe decoctum corticis ulmi campestris, quercus, salicis, chinae, putaminum nucum juglandum, foliorum plantaginis angustifoliae, herbae scordii, infusum rutae, calami aromatici solius, aut cum spiritu camphorato, tinctura myrrhae, tinctura opii composita, extracto chamomillae etc. Solutio Saviardii, e duobus scrupulis alcali fixi, et totidem camphorae, ac duabus uncis sacchari albi in duabus libris aquae solutis constans, pro deligatione saepius per diem adhibeantur. Quodsi hic status, una cum nisu in carnem luxuriantem connexus sit, tunc alumen ustum, spiritus salis ammoniaci causticus, lapis causticus, liquor Belostii, seu liquor hydrargyri nitrici oxydati, vel supra adducta solutio lapidis infernalis cum tinctura opii composita in usum trahantur. Hic advertendum est, omnia haec remedia forma solida multo maiorem operam praestare, ac fluida, unde camphora, et opium, mercurius praecipitatus ruber forma ungenti:

Rp. Ungventi-nutriti.

unciam unam

Mercurii praecipitati rubri

drach. semis.

emplastrum Diabotanon, emplastrum meliloti, emplastrum croceum, praecipue pulvis chinae, quercus, calami aromatici, chamomillae, myrrhae, camphorae, opii, quae omnia praeter excitantem virtutem, materiam secretam facile absorbent.

In specie:

a) Ulcus Callosum. Quamdiu calli margines adficiunt, tamdiu sanatio sperari non potest; nam partes vita privatae uniri non sciunt. Pressio omnis amoveatur, callositates recentes, minus crassae, nondum omni sensu privatae, resolventibus, ut emplastro mercuriali, saponato, emplastro diachyli cum gummi, solutione salis

ammoniaci etc. tollantur; secus vero constitutae, ut chronicae, crassae, insensibiles, tinctura cantharidum, butyro antimonii, spiritu salis ammoniaci caustico, spiritu vitrioli, oleo camphorae, solutione phosphori, aut secundum Richterum scarificatione inflammentur, et sic ad suppurationem perducantur, vel ubi licet, penitus cultro rescindantur; magnam praeterea exerit virtutem tartarus emeticus, aqua in tenuem pastam redactus, et penicilli ope partibus callosis adplicitus; sponte sua intelligitur omnia haec, si semel non sufficiant, tam diu reiteranda esse, donec optatus non sequatur effectus.

b) Ulcus Oedematosum. Causae ante omnia removeantur, topice vero stimulantia, et adstringentia, quae in genere sub therapia ulcerum torpidorum commemorata sunt, ordinentur, situs item, qui refluxui sanguinis favet, et compressoria idonea non negligantur.

c) Ulcus Varicosum eodem modo tractandum erit, quodsi tamen venae, sanguine coagulato tenderentur, aut inflammatae, dolentesque essent, ante compressionem incisio fiat. Quae caeterum de varicibus dici solent, hic simul combinari merebuntur.

d) Ulcus fungosum. Remotio fungi, quo praesente salus expectari nequit, prae omnibus hic suscipi debet, effectum praestat butyrum antimonii, oleum camphorae, acidum sulphuricum, muriaticum, lapis causticus, etiam moxa, ferrum candens, et tandem ligatura, forfex, atque culter.

Ubi haec parasita progenies totam ulceris superficiem invasit, ubi proin rescissio nullum habere potest locum, caustica enumerata, et ex his praecipue ferrum candens omnino sibi principatum adrogant. Si excrescens basi tenuiori gaudeat, quasi petiolo insideret, si aeger forficem, cultrumque horreat, et sedes ulceris ea sit, quae post operationem sufficienter comprimi, et ab haemorrhagia praemuniri non potest, ligaturam praeferto; — denique, dum excrescens basi lata, apice tenui, velut

pyramidem referens prominet, tutissimum remedium erit culter.

Quoad Technicum procedendi modum in singulis :

1. Caustica forma fluida, semel, aut bis per diem pennisillo illiniantur ita, ne in partibus vicinis noxae prorumpant; quem in finem hae saturato seminum hordei, vel altheae decocto, lacte, solutione gummi obducantur; caustica forma solida, vel adpersione pulveris, uti aluminis usti, mercurii praecipitati rubri, mercurii sublimati corrosivi, vel immediato contactu, lapide infernali, aut lapide caustico, saepius per diem instituto. His non sufficientibus circumdetur plaga destruenda emplastro fenestrato, (est emplastrum simplex adhaesivum in medio apertura amplitudini ulceris correspondente pertusum) fenestrae frustillum lapidis caustici imponatur, totumque pro ratione adjuncterum per 2—4 horas emplastro firmandum est; quae hoc modo formabitur crusta, supuratione, cujus deinde solius ratio haberi debet, rejicietur. Ulcus munde servari, saniem foetidam linteo carpto, sicco, spongia, pulvere corticis chinae, quercus, calami aromatici, chamomillae, et praecipue pulvere carbonum temperari oportebit. Denique ferrum candens, vel saltem ad inflammationem excitandam, vel vero ad excrescens penitus destruendum adhiberi solet. In casu primo, dum nempe a memoratis causticis, vel magnum partium vicinarum damnum, vel haemorrhagia gravis praemetuitur, vel ob situm excrescentis, nec ligatura, sed nec culter locum habet, unus, vel plura loca excrescentis recto, vel in angulum redacto stylo ferreo, candente, jam breviori, jam longiori tempore, — prouti excrescentis proprietates deposcunt, contingi debent. In casu altero tota plaga ferro adcommodato candente, sed nunquam diu tangitur, idque toties, donec excrescente penitus destructo, superficies ulceris nigra crusta obducta fuerit. Sub hac opera partes vicinae, ne laedantur, praemuniri e. g. superpositis linteis possunt; suppurationis vero, ut supra dictum, cura geratur.

2. **Ligatura** peragitur filo sericeo, canabino cera illito, vel metallico argenteo. Filo sericeo, aut canabino cingitur excrescens proxime ad suam radicem, colligaturque ita, ut omni die enodari, meliusque constringi valeat. Quod si excrescens magis ad pyramidis formam accedat, tunc secundum Cel. Bell acu recta duplici filo instructa, ad radicem pertundatur, filumque traducatur, cujus cruribus, ubi conjuncta sunt, transcissis, extremitates unius, tum alterius cruris utrinque colliguntur: duae hae ligaturae, magis, magisque, usque ad perfectam excrescentis avulsionem, saepius constringantur. Ubi denique liber accessus ad excrescentia non patet, ita, ut praecontacta manipulatio institui possit e. g. in cavo oris, narium etc. ibi filum argenteum subtile, summeque flexile in cylindrum Levretianum duplicatum inducatur, ita, ut in parte cylindri superiore ansam efformet, cujus crus unum in parte cylindri inferiore firmetur anulo ibidem existente; haec ansa ad radicem, quantum fieri potest excrescentis, auxiliante digito, vel specillo prematur, et alterum fili crus liberum tantisper detrahatur, firmeturque anulo ibidem pro se praestructo. Si, concedente situ cylinder ibi relinqui possit, omni die paucillum crus unum detrahatur, secus vero per circum actionem cylindri ansa contrahi, et ita excrescens constringi dedet: atque hac ratione crura fili argentei ab anulis suis liberantur, cylinder vero extrahetur; haec rotatio cylindri ope instituta, tamdiu repetatur, donec excrescens pleno modo fuerit avulsum. Post quamcunque ligaturam primo stadio inflammatio, altero gangraena, et mors partis ligatae subsequitur; hinc primo antiphlogistica, deinde stimulantia — roborans methodus, ut supra de causticis dictum est, adhibenda erit.

3. **Forfex, et culter.** Parva excrescentia fungosa forfice Coverpii facile rescinduntur, majora cultro subjici debent. Excrescens digitis, vel volsella, vel hamulo duplicato attollatur, et cultro Bistouri dicto convexo, aut recto abscindatur. Hanc operationem inter-

dum notabilis haemorrhagia excipere solet, praesertim, dum excrescentis pars quaedam adhuc remansisset, quae igitur mox rescindi; saepe una cum infrasito textu celluloso, debet. Secus haemorrhagiae aqua frigida, vel mera, vel aceto, aut spiritu vini, aut alumine remixta medio spongiae, interdum agarico, et compressorii plane sistuntur.

e) Ulcus gangraenosum, putridum, sphacelosum. Remotis prius causis, partes gangraena correptae, excitentur, sphacelo consumptae removeantur. In specie gangraena, praeter dietam roboranti — stimulantem, interne china, calamo aromatico, valeriana, camphora, acidis mineralibus, externe fomentis e decocto corticis ulmi campestris, infuso saturato specierum cephalicarum, herbae rutae, scordii, salicis, chinae, putaminum nucum juglandum; aceto, acido citrico, alumine, acidis mineralibus cum camphora, tinctura myrrhae, etc. Acari vero ne fors praesentes tinctura aloes, camphora, et oleo terebinthinae tractentur. Haec omnia etiam in sphacelo indicata sunt, verum tamen praeter haec, incisiones quoque cultro mediante suscipi, atque ita dirigi debent, ut loca sana, et vasa notabiliora in majus aegri detrimentum non laedantur; sed neque id praetereundum est, gangraenae siccae formam fluidam; humidae vero formam siccam remedium roboranti — stimulantium opponendam esse; ad quae posteriora praecipue pulveres carbonum referri merentur, hique, vel meri, vel stimulantibus admixti forma ungenti, ut sequitur, ordinandi:

Rp. Ungventi de styrace

Pulv. carbonum tiliae

aa unciam unam

Camphorae

Myrrhae

aa drach. unam — duas.

Olei terebinthinae. q. s. ut fiat
ungventum.

His tamen non obstantibus continuo serpit circum se gangraena, ut vel totum ambitum, in quem causa excitans topica directè egerat, occupet, devastetque; vel subversante causa universali, toti corpori organico clades inferat enormes; in utroque autem casu citata remedia, pro virili adhibeantur, sed casu posteriori amputatio, alioquin profutura nihil, ne suscipiatur.

f) *Ulcus fistulosum.* Forma huius ulceris persistente, curatio vix possibilis est, hinc 1. ostium externum dilatandum, vel aliud huic oppositum incisione faciendum, situsque aegri effluxui materiae secretae adcommodandus erit, vel 2. injectiones fluidorum stimulantium, aut impositiones corporum solidorum fiant, vel denique 3. totus canalis fistulosus per ligationem, aut transsectionem aperiatur: quibus omnibus methodis liber materiae secretae effluxus, et parietum canalis fistulosi debita inflammatio intendi solet, quoad primum ostium externum incisione dilatetur, dilatatum servetur, et saniei effluxus debito situ, aut lenibus abluentibus injectionibus sustentetur. Fistulas notabilibus longas alio è diametro opposito ostio providere necesse erit, quem in finem per ostium externum, vel specillum capitatum inducitur, vel fluidum lene injicitur, ut longitudo canalis adpareat, atque ibi, ubi haec desinit, incisio pro ostio altero fieri queat; hoc modo fistula incompleta accipiet formam completæ, quæ ut infra dicetur, suo modo deliganda erit. Quoad secundum, ubi aliae methodi in salutem aegri trahi nequeunt, uti in fistulis nimium longis, profundis, infra notabiles tendines, nervos, vasaque, inter duo ossa sitis, injectiones e vino, alcohole diluto, tinctura camharidum, solutione salis ammoniaci, lapidis infernalis, phosphori, quibus alia stimulantia pro ratione circumstantiarum adjungi possunt, ita tamen, ut ulcus mundantia praemittantur, institui debent. Haec omnia, ad quæ praeprius aqua calida adhuc refertur, per ostium externum medio syringae in ulcus fistulosum injiciantur, et obstructo interca ostio externo, ibidem tamdiu contineantur.

tur, donec aeger leniter ardentem dolorem deprompturus, una signum materiae injectae foras revocandae largitus fuerit. Gradu inflammationis hunc in modum sufficienti excitato, super tota fistula adplicetur compressorium (ex longhette, et fascia spicali constans) ita, ut eiusdem parietes in omnibus punctis se mutuo contingant, sicque sensim concreescere valeant. Quod cereolos, chordas, turundosque concernit, inducuntur potius eo fine, ut dilatationem fistulae producant, sicque stagnationem saniei solvant, quam vero, ut curationem plenam efficere possint; et nisi ut a materiis peregrinis, (magis adhuc, si e substantiis stimulantibus compositae essent), aliquis inflammationis gradus in fistula, sicque sanatio speranda foret. Cel. Bell. setaceum e filis gossypinis, vel sericeis compositum, medio specilli inducendum commendat, cuius crassities totum canalē perfecte expleat; ex hoc dein singula altera, vel tertia die filum unum extrahitur, ut canalē continuo coarctari, et tandem concreescere possit. Denique quoad tertium: ubicunque canalē totius transcissio locum habere potest, tamquam tutissimum curandae fistulae medium nunquam negligatur. Ad id peragendum culter bistouri dictus, directioni fistulae adcommodatus apice nodosus in totam fistulam inferatur ita, ut acies eius extrorsum, dorsum vero introrsum respiciat, partesque supra aciem cultri sitae, totamque fistulam tegentes paulatim transcendantur, idque, vel ab ostio externo versus fundum fistulae, vel quod in plerisque fistulis fit, a fundo, ubi simul ex incompletis prius completae formari debent, versus ostium externum. Justo angustiores prius dilatari, apud nonnullas peculiaris aegri situs observari debet. e. g. in fistula ani, praemisso oenemate aeger, ad latus in quo fistula est, decumbit, et eiusdem quoque lateris extremitas inferior firmiter extenditur; altera vero versus abdomen attrahitur.

Deligatio hanc operationem exceptura, postquam ad sistendam haemorrhagiam, aliquo tempore fomenta

frigida adplicita fuerint, tota quanta in eo consistit, ne margines jungantur, priusquam superficies fistulae detergi, et granulari coeperit; id circo intra margines linteum carptum, tenui modo, ne totum vulnus expleatur, oleo illinitum medio specilli poni, et totum compressorio firmari debet; deligatione, si secus nihil obstat 48. vel minimum 24. horis sibi relicta, vulnus dein suo modo munde servari, aqua tepida ablui saepius debet.

Dum tandem cultrum aeger abhorreret, etiam ligatura adhiberi potest, nempe in hoc casu semper fistula completa (secus fiat) adesse debet, tumque medio specilli filum sericeum, vel argenteum per ostium unum inducitur, per aliud educitur ita, ut duae filii extremitates colligari, et sub tota saepe valde diuturna cura, semper magis, magisque constringi debent, donec partes interceptae penitus fuerint solutae. Postremo in ulceribus fistulosis balnea tepida insigniter sunt indicata.

g) Ulcus cariosum: vel mixtionis ad normam reductione, vel exfoliatione sanatur; Hinc 1. momentis causalibus discussis; et remotis, regimine diaetetico coordinato, topicae illius rationes curae substerni, ut tumores cystici, excrescentia fungosa, ad liberum saniei exitum procurandum, destrui, saepe dilatationes, sinuum aperitiones; adplicationes mediorum forma fluida, vel solida ex cortice ulmi campestris, chinae, salicis, calami aromatici, sabina, vel acido phosphorico diluto, aqua calcis, balsamo peruviano etc. institui debent: si sanies in cavo medullari stagnaret, quod ex nimio tumore, et nimia copia saniei, diametrum ulceris superante cognosci potest, aut si infra os congereretur, tunc Perforatorio (Perforationstrepan) aperiri, aut perforari debet. Interne ea, quae teste experientia peculiariter in ulcus cariosum agunt, uti: semina phellandrii aquatici, calamus aromaticus, belladonna, cicuta, assa foetida, terra ponderosa salita, acidum phosphoricum, et aqua calcis pro varia aegri ratione sua lege propinentur. Aqua calcis in

iis praesertim casibus, ubi acidum prae terra in ossibus praevalet, maxime indicata erit. 2. Dum sanatio exfoliatione peragitur, tunc ante omnia partes molles debite dilatentur, ut non tantum superficies cariei adplicationi remediorum pateat, verum etiam separata ossium fragmenta extrahi queant. Os vita omni privatum autocratia naturae a sanis revellitur: caetera medicinae relicta sunt. Sic superficies adfecta liquore anodyno, tinctura myrrhae, tinctura euphorbii, oleo caryophyllorum, cinnamomi, rosmarini, camphorae, terebinthinae, sed vel maxime acido phosphorico concentrato, medio lintei carpti, exsiccanda est. Haec tamen remedia, nonnisi tunc feliciter cum successu adhibebis, ubi superficies ossis adfecti adeo tenuis erit, ut ab iis penetrari possit: secus instrumentis: (perforationstrepan, kronnetrepan, aut exfoliationstrepan) pluribus locis os correptum pertundere debes. Commodissime vero fragmento vitri superficie prius multum derasa, supra enumeratis remediis utere, vel tandem ferro candente interficias malum in mora. Interim saepe omnes hi modi violenti sunt, et consultius erit opus hoc naturae committere; praecipue vero ferrum candens nimis heroicum partes sanas etiam adgreditur, minus audacter adplicitum saepe non destruit, quae destruenda fuere. Partibus destructis, penitusque ablatis reliquum ita, prout omne ulcus simplex, adeoque leniter, mundeque tractari solet. Ad extrema cariei remedia amputatio refertur, tunc solum suscipienda, si ossa extremitatum, praecipue in articulationibus carie penetrante exesa, si partes molles foedum in modum devastatae, si denique malum mere topicum, et constitutio individualis operationi idonea sint.

h) Ulcus syphiliticum primarium sub therapia secundarii, seu universalis pertractabitur.

§. 12.

Therapia Ulcerum Universalium.

Ulcerata universalia a causis universalibus orta, pro ratione causarum, et indolis suae, vario modo tractari debent. Cum vero morbi, e quibus proscaturiant, dynamici, iterum varios speciales characteres praesefere soleant, methodus ulcera haec curandi e Therapia speciali necessario repeti debet. Nec volo igitur, nec passum in hocce tractatu citare remedia naturae morborum, quibus haec ulcera innituntur, opponi solita. Ea saltem, quibus ulcus remediis internis pertinaciter resistens, externe quoque impugnari debet, hic adducenda erunt. Itaque:

1. In ulceribus scorbuticis corpus totum aromaticis, et spirituosis substantiis lavare, gingivas sanguine manantes, decoctis adstringentibus, corticis salicis, quercus, tormentillae, infuso salviae cum spiritu cochleariae eluere; excrescentia fungosa gingivarum saepe acido citrico, vel diluto muriatico, sulfurico contingere, vel pulveribus corticis chinae, quercus, salviae, corticis panis adusti conspergere, vel interdum cultro tollere expedit. Caetera per corpus totum dispersa, ita quemadmodum fungosa, et gangraenosa, respectu therapeutico considerentur, praecipuam vero laudem recentibus temporibus foeces cerevisiae sibi vindicarunt.

2. Ulceribus scrophulosis adstringentia, aromatica, et narcotica optimo cum effectu opponi solent; huc cortex chinae, salicis, putaminum nucum juglandum, chamomilla, opium, cicuta, belladonna, digitalis purpurea; laudantur etiam tutia, mercurius praecipitatus ruber, alumen, aqua Goulardii etc. quibus mane, et vesperi ulcera delignantur. Cel. Rust commendat solutionem e drachma dimidia lapidis caustici, duabus drachmis extracti cicutae, et chamomillae, et tincturae thebaicae in octo unciis aquae; vel et unguentum nutritum, cum mercurio praecipitato rubro, et succo recenter expresso plantaginis angustifoliae, vel solum folio-

rum huius plantae decoctum. Tumoribus autem vicinis emplastrum ex anaticis quantitibus emplastri mercurialis, cicutae, diachyli cum gummi, camphora, et opio compositum, aut saponem antimoniale applicat, vel eos linimento volatili, oleoque camphorae inungit. Ulcere vero nimis calloso, impuro praesente, vel decoctum, vel extractum belladonae merum, aut aliis indicatis mixtum adhibere solet: ulcus denique forma oedematis prostans, compressione fasciae compescitur. Hoc modo emendatio, aut plena disparitio ulcerum, praesertim autumno subsequitur, futuro vere iterum eruptorum, atque hanc scenam etiam per annos ludentium, donec, vel continuo remediorum usu, vel aetate ipsa morbus totus, immortalia sui tamen relinquens vestigia, penitus conficiatur. Priusquam in plenam abeant consolidationem, e consilio Cel. Rust inaequales eminentiae, ne foedas admodum relinquunt cicatrices, causticis in genere; plene vero consolidata caustico speciali, ex anatica quantitate saponis, et calcis vivae constante contingere juvabit. Exulceratio glandularum Meibomii unguento o drachmis duabus butyri recentis; 2—3—4 granis mercurii praecipitati rubri; 20—30 guttis aceti lithargyri, et laudani liquidi Sydenhami parato, atque cantho interno magnitudine lentis ingesto, ad mentem eiusdem auctoris optime tolli potest.

3. Ulcera arthritica id proprii habent, quod indicatissima remedia forma fluida non patiantur. Id circos mirum non est, si indicationes optimas emplastrum domesticum frequentius eludat. Emplastra certo, quatenus ulcus ab aditu aeris muniant, eundemque caloris gradum continuo foveant, forte hic loci maximae sunt dignitatis. Huc referri meretur emplastrum mercuriale, et cicutae aequalibus partibus commixtum, vel emplastrum de minio cum addito opio, vel tafetta, et calor siccus. Complicationes, uti margines fungosi, callosi, sinus, caries, utique suo modo in nihilum redigi debent. Vitia organica, alia pro fulcro borum ulcerum nunc servientia, aceto, spiritu Mindereri, solutione salis ammoniaci, aethere acetico,

acido nitrico, emplastro Schmukerii, ex assa foetida, sapone, gummi ammoniaco, et aceto squillae congesto, vel fonticulis sufferi quaeruntur.

4. *Ulcera syphilitica.* Quamquam ratione originis, et loci in primaria, seu topica, et secundaria, seu universalia subdivisa sint, cum tamen tempus transitus mali topici, in universale perfecte adsignari nequeat, et therapia utrorumque in plurimis casibus congruere debeat, hic, quae ad rem faciunt, brevibus proponuntur. Si demonstrari posset ulcus syphiliticum reipsa mere topicum esse, tunc superficiei eius destructio, lapide infernali, vel ladide caustico, vel porro mercurio sublimate corrosivo, praecipitato rubro, sulfate cupri, aqua phaedonica ect. medelam sperare liceret; secus vero a praeparatis hydrargyri interne porrectis una spes miseram unam sperare salutem; secundaria quoque ulcera syphilitica, in quantum topica tractanda veniunt, memoratis remediis impugnari possunt. Sed tamen sedes eorum insignem deposcit attentionem: ita ulcera syphilitica cavi oris, narium, labiorum, optime forma syrupi e praeparatis hydrargyri, extractis aromaticis, acidis mineralibus, et similibus confecti, medio penicilli bis, vel ter per diem illiniuntur. Cel. Rust in hunc finem sequentem formalam praecipue laudat:

Rp. Muriatis hydrargyri corrosivi.

grana sex — duodecim

Extracti Cicutae

— Florum chamomillae

aa drachmas duas

Melis rosarum

unciam unam.

S. Bis, terve per diem penicillo adplicetur.

Commendantur porro collutoria, et iniectiones ex memoratis substantiis constantia, sed, quia et lentius agunt, et partes quoque sanas adficiunt, magis consistenti formae postponi debent. Ad ulcus tamen mundandum, atque sanem eliciendam, infusa, aut decocta ex adstringentibus,

aromaticisque materiis, addita tinctura myrrhae, aut mele rosarum certo indicata sunt. Ea pariter, quae cutem externam obsident, lotionem, vel unguento mercurialium, cum opio, extracto cicutae, chamomillae, unguento nutrito, et balneis alcalinis conficiuntur. Bubonibus syphiliticis methodo antiphlogistica resolvi nolentibus, unguentum cinereum, emplastrum cicutae, mercuriale, saponatum, cataplasmata emollientia, cepa supra opponenda erit, abscessus apertus dilatari potest; maturus cultro, vel causticis aperiatur; qui in indurationem nititur, unguento cinereo cum camphora, vel unguento iodinae tractetur. In ulcus prorumpens, et limite duro circumdatus laudatis emollientibus porro quoque foveri non desinat.

5. Ulcera impetiginosa mercurialibus, saturninis, sulfure, pulvere carbonum, decocto cicutae, scordii, absynthii, herbae nicotianae, radice hellebori, enulae, cortice ulmi campestris, balneis impugnantur: si originis scabiosae sint: Lotio antipsorica, decocta plantarum acrium, praecipue sulfur, acida mineralia diluta, decoctum concentratum radice enulae, et flammulae Jovis cum additamento mercurii sublimati corrosivi (ad libras duas decocti scrupulum unum mercurii sublimati corrosivi) quibus medio spongiae saepius per diem ulcera humectantur: ulcera originis herpeticae, acido citrico, oleis pingvibus, praecipue oleo nucum, unguento ex mercurialibus, saturninis, et acidis mineralibus cum pingvedinibus composito, lotionibus ex solutione smigmatis, tabaci, chenopodii; secundum Cel. Rust:

Rp. Mercurii subl. corrosivi.

grana tria

Aquae rosarum

uncias sex

Lactis sulfuris

drach. duas

Sachari saturni

drach. semis

D. S. Pro usu externo.

In crusta lactea pili rescindi, animalcula pulvere petroselini, aut sabadillae semicum cum pinguedine misceri, et applicari, et lotiones lenes fieri, summaque mundities observari debet.

6. **Ulcus cancrorum.** Quamdiu topicum est, optimum remedium culter, si omnes, vel saltem plurimae admittant aegri relationes; adhibentur etiam caustica, et rarius ferrum candens, adhibetur arsenicum forma solutionis (duo — octo grana in una libra aquae) pro deligatione, vel forma ungenti ex 4. granis arsenici, 10. granis opii, et una drachma cerati; aut ex una drachma arsenici, una drachma sulfuris, una uncia ungenti nutriti, et uncia aceti destillati; vel denique forma pulveris (pulvis Cosmii Besnardi) maxime usitata, et eousque continuanda, donec crusta comparuerit, qua post octo — quatuordecim dies recedente: ulcus purum ungento de styrace cum pulvere carbonum, tinctura myrrhae, lapide infernali in tinctura opii soluto ad cicatrisationem perducitur. Accedunt: creosotum, belladonna, cicuta, digitalis purpurea, aqua lauro cerasi, praeparata hydrargyri, daucus carota, calendula, subcarbonas ferri, aqua calcis, non solum externe, sed etiam interne, quo arsenicum quoque spectat, in usum trahi solita. Ad extremum hirudines, succus gastricus animalium ruminantium, spiritus salis ammoniaci causticus, extractum chamomillae, aliaque topice multum celebrantur; quae quidem omnia pro ratione aegri, morbi que relatione diversa, aut modo palliativo, tam in topicis, (quae et sanata visa suat) quam in universalibus quoque huiusmodi ulceribus praestare valent, sed utrum penitus tollere? Maximum sane remedium est cancri topici, praesertim e causa externa ortum suum ducentis, plena, perfecta que extirpatio: quae pro diversitate partium adfectarum diverso modo secundum principia doctrinae de operationibus chirurgicis tractetur, oportet.

Auctores praecipui.

- J. Astruc's* Abhandlung von Geschwülsten, und Geschwüren. Dresden 1790.
- B. Belss* Abhandlung von Geschwüren, und deren Behandlung. Leipzig 1792.
- Hebenstreit's* Zusätze zu Bells Abhandlung von Geschwüren. Leipzig 1793.
- A. Bertrandi* theoretisch-practische Abhandlung von Geschwüren. Erfurt 1790.
- Veber's* allgemeine Melkologie. Berlin 1792.
- Henke* Fragmente über die Pathogenie, und Therapie der Geschwüre in Horns Archiv. Bd. II. S. I.
- Metzler* Abhandlungen über die alten Geschwüre der unteren Gliedmassen. Wien 1793.
- Undervood* Über die Geschwüre an den Füßen. Leipzig 1786.
- C. Home* Beobachtung über die Behandlung der Fussgeschwüre. Leipzig 1799.
- OsthoF* Untersuchungen, und Beobachtungen über die chronischen Geschwüre. Lemgo 1804.
- Hulme* Libellus de natura, causa, et curatione scorbuti. London 1768.
- J. Lind's* Abhandlung vom Scharbok. Riga, und Leipzig. 1775.
- F. Milmann* Untersuchungen über den Ursprung der Symptome des Scorbutus, und der Faulfieber. Berlin 1795.
- G. Blanc* Beobachtungen über die Krankheiten der Seeleute. 1788.

- Th. Tretter* neue Bemerkungen über den Scorbut. Leipzig 1787.
- Sydenham* Abhandlung von Podagra. Landth 1792.
- Grant* Beobachtungen über chronische Krankheiten. Leipzig 1792.
- Wenzel* Diss. de Ossium arthriticorum indole. Mogunt. 1791.
- Banther* Abhandlung über die Gichtkrankheiten. Berlin 1803.
- H. F. A. Roussel* Diss. de variis herpetum speciebus. Cadorn 1779.
- Mühlenpfort* Diss. de Ulceribus esthiomenis, eorumque methodo medendi rationali. Kilon 1795.
- P. G. Hensler* de herpete, seu formica veterum. Kilon 1801.
- V. G. Tilesin* Theorie der flechtenartigen Ausschläge.
- L. S. Gallott* Diss. sur la Teigne. Paris 1802.
- C. Stark* Über den Milchschorf der Kinder. Weimar 1788.
- J. C. Wichman* Aetiologie der Krätze. Hannover 1791.
- J. C. G. Ackermann* Bemerkungen über die Kenntnisse, und Kur einiger Krankheiten.
- Fabre* Traite des Maladies Veneriennes. 3. Edit. 1773.
- J. Hunter's* Abhandlung über die venerische Krankheit. Leipzig 1787.
- C. Girtanner* Abhandlung über die venerischen Krankheiten. Göttingen 1793—1803.
- F. Shvediauer* Traite complet sur les symptomes les effets, la nature, et le traitement des maladies syphilitiques. Paris 1817.
- L. F. Langneau* Exposé des symptomes de la Maladie Venerienne.
- J. Louvrier's* Nosographisch-therapeutische Darstellung syphilitischer Krankheitsformen. Wien u. Krems 1819.
- J. Vendt.* Die Lustseuche in allen ihren Richtungen, und in allen ihren Gestalten. Breslau 1825.
- Delpsch.* Consideration sur les maladies Veneriennes. Paris, et Montpellier 1823.

N. Devergis. Chinique de la mala, die syphilitique avec un Atlas colorice. Paris 1826.

Du Verney. Traiti des maladies des os. Paris. 1751.

Ferrand. Diss: de Carie ossium: Parisiis. 1765.

C. F. Clossius. Über die Krankheiten der Knochen. Tübingen 1798.

A. Scarpa de penitiori ossium structura — Lipsiis 1799.

Heimmer. Diss. de spina ventosa. Halae 1797.

J. P. Veidman de necrosi ossium Francofurt. 1793.

J. Russel practical Essag on a certain Disease of the bones termed necrossis. Edinb. 1794.

Ringelman. de necrosi ossium: Rudolst. 1804.

L. Vissman de rite cognoscendis, et curandis, nudatione, carie, et necrosi ossium. Halae 1820.

Richter die Nécrose pathologisch, und therapeutisch gewürdigt, im Journal von Gräfe. Bd VII. Heft, 3. S. 402.

Duphenix Morand Louis observations sur les Fistules du canal salivaire de stemon in Mém de l'Academ. de Chirurg. vol. III. pag. 431.

Sabatier. Mémoires sur les anus contre nature; in Mémor de l'Academie. Vol. V. pag. 592.

T. Reisinger. Anzeige einer vom Prof. Dupuitren zu Paris erfundenen, und mit dem glücklichsten Erfolge ausgeführten Operationsweise zur Heilung des anus artificialis. Augsburg. 1817.

Liordat. Diss. sur le traitement de l'anüs contre nature Paris 1819.

Pott. Abhandlung von der Gefäss-Fistel in dessen sämtlich. chirurgischeu Werken.

Oetzman. Diss. de Fistula ani. Jenae 1812.

C. Bell. Chirurgische Abhandlung über die Krankheiten der Harnwege, und des Mastdarms. In chirurgischen Handbibliothek. Weimar 1821.

Desault. Auserlesene chirurgische Beobachtungen. Frankfurt 1806.

- J. G. Roederer.* De scirrho uteri. Götting. 1754.
Haller. Coment. de scirrho uteri Argentori 1758.
Gmelin. Diss. specifica methodus cancrum sanandi. Tub.
 1757.
Fearon. Treatise ou cancers. Lond. 1784.
Hahn. Diss. de cancro occulto, et aperto. Giess. 1784.
Koehler. Diss. de variis ad cancrum medicamentis. Jenae.
 1800,
J. N. Rust. Helkologie. Wien 1811.
M, J. Chelius. Handbüch der Chirurgie. Wien 1832.



T h e s e s.

1. Comitatus Baranyiensis Clima sanitati omni respectu favet.
 2. Cum perfectione scientiarum naturae, pari passu increscit veritas medicinae.
 3. Succus gastricus est indolis acidae.
 4. Formatio organica, et vitalis organorum motus, ex eodem communi fonte, processu vitali interno, promanant, quin tamen unam, eandemque exprimant actionem vitalem.
 5. Respiratio cum combustione ita, sicut digestio cum fermentatione comparari potest.
 6. Morborum pathogenia, processu electrico, ejusque in organismum influxu uberius cognito, perficienda speratur.
 7. Usus diaeteticus coffeae quibusdam firmum servandae sanitatis fulcrum est.
 8. Operationes chirurgicae bene executioni datae vix unquam satis aestimandae.
 9. Hypochondriacorum inconstans in medentem confidentia, suam habet in malo ipso causam.
-